



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola Ioannis Papae XII. Ad Sanctvm Dvnstanvm Cantvariensem
Episcopvm. De concessione pallii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ptus fuerit; sed quia tot tantisque vexationibus a Deo admonitus a peccatis consuetis non abstinuit. Quamquam ista quæ apud Luitprandum narrantur, non tam ipsius sint, quam hominis aduersarii, & Ottoni plus nimio adscribentis, tamen veritatem eorum non controuerto; utpote quod nullum dispendium afferant fidei catholice, de qua vnanimi consensu profitemur, Petrum Petrique successores post acceptam Christi promissionem, in moribus quidem, non autem in fide, deficere posse. Contigisse obitum Ioannis papæ anno 964. pridie Idus Maii, in Reginonis auctario asseritur.

EPISTOLA
IOANNIS PAPÆ XII.
AD SANCTVM DVNSTANVM CANTVARIENSEM
EPISCOPVM.

De concessione pallii.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei confratri Dunstano
Dorobernensis ecclesie archiepiscopo vite perpetue
permanendam in Christo salutem.*

Si pastores ouium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & oculis conspiciunt vigilantibus, ne aliqua ex ouibus aut errando pereat, aut laniata moribus rapiatur, quanta cura quantoque sudore debemus esse peruigiles ob salutem animarum, qui dicimur pastores esse earum? Attendamus igitur nos officium exhibere erga custodiam ouium dominicarum, ne quasi lupo veniente territi fugiamus, ne in die diuini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem & negligentia vestra excruciemur, vnde modo honoris reuerentia in sublimiore arce ceteris diiudicamur. Primatum itaque tuum, in quo tibi ex more antecessorum tuorum vices apostolice sedis exercere conuenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut beatum Augustinum eiusque successores præfata ecclesie pontifices habuisse dignoscitur.

Pallium vero fraternitati tuæ ex more ad Missarum solennia celebranda commendamus: quo tibi non aliter uti concedimus quam eo vsu quo antecessores nostri prodi-

derunt, ecclesiæ tuæ priuilegiis in suo statu manentibus. Neque tua prudentia hoc incognitum habet, vel quicumque, quantum indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conueniunt, quatenus, Deo auctore, posses esse conspicuus, ita ut vita tua filiis tuis sit regula: & in illa, si qua fortitudo illis inest, dirigantur, dum in ea quæ imitentur aspi-
Et in fine epistolæ.

Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui viam te dirigat, ut post vitæ huius amaritudinem ad aeternam peruenire simul mereamur dulcedinem. Et hoc scriptum est per manum Leonis scriniarii sedis apostolicæ in mense Octobris, indictione quarta, die primo Kalendas Octobris, anno * duodecimo summi pontificis Ioannis.

* sexto,
Ioannis
pontifi-
cis.

DIPLOMA

OTTONIS IMPERATORIS.

De confirmatione iurium Romanæ ecclesiæ. Autographum ipsum aureis literis exaratum asseruatur
 Romæ in castello sancti Angeli.

*In nomine Domini Dei omnipotentis Patris & Filii
 & Spiritus sancti.*

EGO Otto Dei gratia imperator Augustus, vna cum Otone glorioso rege filio nostro, diuina ordinante prouidentia, spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi apostolorum & clauigero regni cælorum, & per te vicario tuo domno Ioanni summo pontifici & vniuersali XII. papæ, sicut a prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate atque ditione tenuistis & disposuistis ciuitatem Romanam, cum ducatu suo, & suburbanis suis, atque viculis omnibus, & territoriis eius, montanis, & maritimis, litoribus atque portibus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, opidis, ac viculis Tusciæ partibus, id est, Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutrium, Nepem, Castellum, Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est Maiore, Minore, Puluenfim, Narniam, & Vtriculum, cum omni-

Concil. Tom. 25.

N ij